

Quaestio medica, ... an tabacum lentum sit homini venenum? / [Jean Baptiste Barjolle].

Contributors

Barjolle, Jean Baptiste, active 1751.
Lassone, Joseph-Marie-François de, 1717-1788.
Université de Paris.

Publication/Creation

[Parisiis] : [Quillau], [1751]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/mvca3n2f>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEI - PARÆ, ET S. LUCÆ
Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,

CARDINALITIIS DISPUTATIONIBUS
*manè discutienda, in Scholis Medicorum, die Mercurii vigesima-
quarta mensis Martii, anno Domini M. DCC. LI.*

M. JOSEPHO - MARIA - FRANCISCO DE LA SONE,
Regiæ Scientiarum Academiae Socio, Doctore
Medico, Præsidente.

An Tabacum lentum sit homini venenum?

I.



ILE TE tandem Jactatores tabaci; nec jam tantis excipite
plausibus hanc pestem Americanam. Quid tantum juvat sty-
gium hunc pulverem totis haurire naribus? Noscite taba-
cum, malum noscite & dedecus vestrum. Herba fuit diu so-
lis maleficis nota, cujus vaporibus lymphati credulas Barba-
rorum mentes fatuis deludebant vaticiniis; (a) & hæc erat apud
Indos Buhitorum ars magica. Paulò post evasit usus crebrior, & in auxi-

A

(a) Vid. Nicol.
Monard. in
simpl. med.
histor.

(a) Vid. Mi-
focapnum Ja-
cob. fext. mag.
Britann. Reg.

lium vocatus ab innumeris luis venereæ victimis, (a) quæ ad medullam usque ossium dilaniatæ dulci hâc gaudebant ebrietate, quâ veluti incantamento per tempus dolores sopiebantur, sæviores mox exsulcandi: & hæc usûs tabaci prima fons & origo; dein placuit adeò, ut mensarum inter delicias vocatum, ultimum dissolutionis condimentum Indis venerit. Orbem nostrum latuit fanaticus ille ritus usque dum primi intulerint, victores Americæ, Hispani, qui semen plantæ ab indigenis *Picielt* dictæ in patriam asportarunt ab Insulâ Tabacco, undè ipsi tabacum dixerunt: sic facta Hispania tabaci seminium ex quo brevè per totam terram disseminatum est; nec celeriter minùs increbuit ubique usus. Periculum fecere primi aliquot Nautæ Hispanici, qui Indorum more tentarunt fumigationem; & hæc ansa fuit cæteris idem tentandi. Jam probatur ab Hispanis mos iste barbarus, huic favent Angli, applaudunt cæteri maris incolæ. Nautas tantus urit amor tabaci, ut suus nulli tubulus deficiat. Mox invidet miles castrensis; hinc ad invicem fumant castraque navesque. Sed quid tum? Incredibile dictu: varii orbis populi, imò populorum primates sicut & plebei, pauperes & dites, senes & juvenes omnes tandem, exceptis tum fœminis, ad ritum componuntur, &, ut ait Seneca, pecorum more sequuntur antecedentium gregem, pergentes non quæ eundum, sed quâ itur. Sic communis tunc omnibus evasit tabaci usus, variis tamen varius. Alii enim & plurimi per tubulos primò arundineos, deinde verò coctiles, quæ Anglos manet inventi gloria, fumum hauriebant. Alii autem masticare, quidam in pulverem reductum per nares attrahere cœperunt; postremus is est modus qui ad nos usque præsertim invaluit: nec tanto unquam viguit favore. Mirum quid; fœminæ ipsæ quæ usum tabaci quondam horrebant adeò & execrabantur, ut ritum vocarent castrensem dissolutum & infamem, indefinenter laudant hodiè & excolunt: sic mores sunt quæ priùs fuerant vitia: tanta est hominum dementia, ut boni apud eos locum teneat error multorum; adductæ in consuetudinem voluptati indulgent, ignari quòd vim habeat deleteriam quâ fluidæ corporis partes simul ac solidæ inficiuntur, quantisque hæc erit voluptas empta doloribus.

I I.

MELIUS nunquàm cujuslibet mixti noscitur vis & energia, quàm cum sedulò attenditur & ad ipsius naturam, & ad effectus indè consequentes. Hâc methodo noscitur, ut aiunt, & à priori & à posteriori. Jam verò si arte chemicâ perpendatur natura tabaci, hanc salibus acerrimis, & sulphure multo constare potissimùm palàm est; si ad effectus vertatur animus, omnia caustici phænomena observare est: exterius enim ulceri sordido applicetur tabaci succus, comburens statim & veluti comedens carnes ulceris molliores, dum simul vi quâdam igneâ fibras incendit robustiores, atque revocat ad motum, caustici & claræ quidem satis notæ vicem gerit. Quibus invictè demonstratur vim inesse tabaco acerrimam, causticum æmulantem, quamque tam in fluida quàm in solida deleteriam propugnamus. Et primò quidem toties depravantur humores nostri, quoties integrantes eorum particulæ propriam illis naturalemque formam præstare nequeunt. Gelatinosæ, v. g. particulæ si incidantur nimis atque jugiter dissolvantur, fieri jam non potest ut amicam ineant inter se unionem, ex quâ exurgit forma huic humori à naturâ præscripta; tuncque depravatus dicitur humor corporis gelatinosus. Idem de cæteris dicendum humoribus. Si quid autem valet partes humorum integrantes incidere nimis, dissolvere, & à naturali formâ remove, imprimis tanè causticum, si his unquam admisceatur. Ergò jugiter infestari debent

humores nostri deleteriâ vi tabaci, cum caustica ipsius tinctura diu noctu-
que in naribus & in ore ipso extracta, nam frequentius per ora expui-
tur, fluxu perenni in ventriculum delabatur, omnibus hîc misceatur fluidis,
& exindè vias una petat circulatorias.

2^o. Quæ cum ita sit fluidorum labes, incolumbia perstare non possunt ipsamet
solida; prout enim rubigine ferrum, sic ab hac acredine generali fibras om-
nes mordicari, mille in punctis effodi, sensimque dilacerari necessum; eadem
enim interiora occupat pestis, quæ membranam veluti comburit pituitariam,
papillas vorat nerveas, tussesque excitat violentissimas, si fortè per rimulam
glotidis pulveris miasmata unâ cum aëre in pulmonum penetralia irrepserint;
quod quoties accidit, tot indè ulcerum principia: malum quidem in princi-
pio leve, quoniam verò diu sæpè noctuque fovetur causa, immane tandem
crescit & ingens, solâ morte tollendum. Tum accusant temperamentum; ve-
rùm dedit hæc contagio labem. Quot narrat Hofmannus (a) crudeli hoc vene-
no raptos?

(a) Vid. Hof-
mann. lib. 2. de
medicamentis
officinal. cap.
CXI. p. 320.

Præterea nec ipsi remanent intacti nervi; dum enim in naribus assidue
convelluntur præsentia tabaci ac roduntur radices extremæ olfactorii nervi,
certissimè per consensum in spasmus indefinenter cogitur universum systema
nervosum; in quo quidem statu violento robur, & energiam acquirere impo-
tens, tonum amittere necesse est: hinc nervorum debilitas simul & sensibili-
tas innumeris ansam morbis mox datura. Patet ergò quàm deleterium flui-
dis æquè ac solidis corporis partibus tabacum veniat; undè dicendum toxicum.

I I I.

VENENUM dicitur, quidquid per se naturæ nostræ contrarium est: quâ latâ
veneni definitione hæc omnia comprehenduntur quæ vi quâdam deleteriâ,
ut dicit *Boerhaavius*, citius vel ocyus necem inferre valent; sivè agant in cor-
pus per formam specificam, quod distinguunt multi, sivè per elementarem
complexionem. Venena autem alia sunt acuta & subito necant; alia absument
miseros languoribus, &, ut aiunt, per accidens, nec insequitur mors nisi clau-
do pede, hæcque vocari solent lenta venena: illa inter numerandum *picielt*,
sivè tabacum; sævior eò tortor, quò lentius agit. Nec ultimum suâ vi delete-
riâ sibi vindicat locum. Quot morti portas aperit! Jam sequitur tabes, tussis
frequens, pectoris hydrops, phthisis pulmonaris, artuum tremor, & affectuum
spasmodicorum cohors. Hinc vertiginosa juvenus, morbofa virilis ætas, rara
aut imbecillis senectus.

Ut autem de venenosâ tabaci qualitate nè vel minimus sit dubio locus, inqui-
ramus signa assumptum venenum indicantia: primò adest, inquit *Ardoynus*, (b)
corporis angustia, stomachi passio, vomitus, vel ad ipsum inclinatio præcipue
inconsueta: deindè verò si vis est calida, accedunt vertigines; oculorum ru-
bedo, passio; motus convulsivi; & syncope. Jam verò nonne & iisdem sti-
patur symptomatibus tabacum, quoties virgineum adhuc nasum primâ vice
inquinat. Quot sternutationes? Quot inconsuetæ nausæ, imò vomitus enor-
mes? Quæ nova menti caligo inducitur? Rubescunt oculi, & patiuntur adeo,
ut ferè tota in his aboleatur functio; vertiginum invadit cohors; stupe-
sunt sensus; generalis imminet lipothimia; presens adest syncope; jamque semia-
nimus corpus jacet. Ergò & signis calidum venenum confirmatur tabacum.

(b) Vid. Ar-
doyn. de vene-
nis, cap. III.

I V.

QUIDAM fatebimur tabaci usum impunè tentarunt; sic & impunè usa
napello puella hæc persica, quæ tactu, ore, & halitu venenum exha-
lans suos omnes amalos interimebat. Certissima verò, licet lenta, pœna

(a) Vid. Adam. Olearium, lib. 3, cap. 6. p. 197.

(b) Vid. Vigen. in lib. de ritibus moribusque Turcarum.

(c) Vid. Adam. Olearium, lib. 3, cap. 31. p. 645.

(d) Vid. Mifocapnum auth. sup. lau.

ſceleſtam hanc manet temeritatem. Hanc ſanè venenofam vim tabaci jam diu noverat Michael Fæderowitz Moſcoviæ Princeps, (a) qui quemcumque tabaci uſum in omni ditionis ſuæ loco prohibuit, lege anno 1634, in tabacarios omnes promulgatâ quâ fuſtigatione primò, biſidâ dein alarum naſi ſectiōe debebant affici. Regnante apud Turcas Amuratho IV. (b) per ſeptem & decem annos capitale fuit uti tabaco: eadem circa tempora quibus omnia polluebat loca tabacoſa lues, utentes tabaco labiorum ſimul & naſi abciſione mulctari, vendulos verò unà cum ſuis mercibus in ignem projici, & abſumi jufferat Schah Perſarum Rex: (c) id autem factum, notat hiſtoricus, quod milites ac cives tabidos, debiliores, languidos fieri ab uſu tabaci obſervaverant: ipſimet veneficam tabaci qualitatem ſubſentiunt Americani, ſiquidem deditos tabaco ſervos utpotè debiliores atque morbidos temnant, longèque rejiciant; adeò ut vix ullus in Americâ talis ſervi reperiatur emptor, (d) ſicut & apud nos porci porrigine cadentis. Ter quaterque beati Perſæ, quibus nunc ignotum vi è naribus mukum educere; nec ibi temnunt naturæ dona, nec in ulcera vertunt fordida, quæ eo ſine decora efformavit organa, ut ſuaviſſimam odorum amœnitatem poſſint faciliùs deguſtare; his frui non datur pulveris tabaci voluptate, ſed nec datur impia haurire cum melle dolci venena.

V.

(e) Vid. Magnenum in ſuis exercitationibus de tabaco, exercit. 14. & Tabacologiam Neandri.

AT in tabaco panaceam reclamant omnes: ecquis enim hodie pro ſuo tutori genio in hunc vel illum morbum, non habet ac prædicat tabacum? His ſi credere fas eſt ab atris vaporibus incolume præſtat cerebrum, ſimul & à pituitosâ illuvie liberat. Illis lynceos efficit ocellos. Quibuſdam præſtantiam aurium ſervat & decus. Cæteris gratâ, hilari, ac ſanâ dat frui vitâ. In hoc antidotum nec valent mephites ac nebulæ, nec quid unquam mali tentabit athiſma; timet cancer lethales ſuas extendere radices, (e) & incuſſum prodit lethargus. His verò tot fabulis quis non inficias ibit, ſi rationem conſultam velit & experientiam? Remedium quidem dicemus tabacum, in quibuſdam caſibus à peritiſſimo artis magiſtro præſcriptum, aliàs venenum audit & proſcribendum; ſic quandoque ſal Saturni, cantharides, ſublimatum corroſivum, licet intùs venena, tamen in remedium vocantur aſſumenda. At tibi ſolatium aſſert tabacum & nares vellicando vitæ fallit tædia. Eſto: ſed anguis latet in herbâ: quibus titillantur ſenſus, iisdem ſtimulis tandem deſtruuntur; irritatur quædam tabaco voluptas, ſed omnia ſimul in corpore irritantur, fatiſcunt, ac delentur; undè jure & meritò concludendum.

Ergò Tabacum lentum eſt homini venenum.

Proponebat Pariſiis JOANNES-BAPTISTA BARJOLLE;
Salmurienſis, Doct̃or Medicus Monſpeliienſis, Saluberrimæ Facultatis
Medicinæ Pariſienſis Baccalaureus, A. R. S. H. 1751,
A SEXTA AD MERIDIEM.